

ita essem affectus, abbatis cuiusdam viri optimi Bessarionis litteras a Neapoli, ubi nunc monasterio Sancti Severini ex consortio beatae Iustinae est praefectus, acceperim, quibus ad me scribebat maiestatem regiam miro quodam animi studio ad propugnationem christianae fidei et immanissimi hostis nostri interitum ardentem atque inflammata  
 5 esse. Illis mox respondi et, ut litteras meas celsitudini regiae ostenderet, monui. Duas praeterea orationes pro tantae rei magnitudine ac periculis christianae reipublicae imminentibus edidi. Altera demonstratum est fortunam periculaque ista ad omnes pertinere. Altera vos, Italiae opti-  
 10 timi principes, ad concordiam bellumque in hostes decernendum cohortatus sum. Id enim meo convenire officio putavi. At cum facilius auditores persuaderi soleant, quo gravior auctoritas et fides dicenti tribuitur, Demosthenis philosophi nobilissimi summique oratoris orationem, quam in eius generis causa habuit, graeca lingua in latinam con-  
 15 verti, plane ut omnes intelligant me neque inutilia neque amplissimorum virorum opinionibus aliena consulere. Ea omnia vobis mittenda censui, ut aut ipsi legatis, cum per publica negotia, quae multa quidem et gravia sunt, licuerit, aut aliis legenda atque referenda tradatis. Sunt enim cunctis vobis principibus communia, qui, ut feliciter huic nobi-  
 20 lissimae provinciae praeestis, ita ut in posterum felicius eam regatis, et nos optamus, et vos conari debetis.

### 69. Bessarion Cardinalis

Christophoro Mauro

Venetorum Duci.

25 Redditae mihi hodie fuerunt litterae sublimitatis tuae, illustrissime B 20 princeps, quae licet renovarint mihi dolorem paulo ante susceptum et vulnus refricuerint, admonuerint etiam periculorum christianae reipublicae imminentium et ad excitandos nostrorum principum animos multis rationibus et mira quadam facundia hortatae sint, nihil tamen novi

20 B *Suprascriptio*: Bessario Cardinalis Nicaenus inclyto Venetorum duci Christophoro Mauro salutem.

Ep. 69. Der Brief stammt aus der Zeit nach der Eroberung von Chalkis auf Euböa durch die Türken (12. Juli 1470). Bessarion erinnert den Dogen Cristoforo Moro an seinen diesbezüglichen Brief, den er an den Abt Bessarion von S. Severino in Neapel gerichtet und von dem er eine Abschrift auch dem Dogen habe zugehen lassen. Der König von Neapel sei, seitdem er von der Sachlage Kenntnis erhalten habe, für die Abwehr der Türken hell begeistert. Den Bericht aus Neapel, den er beilege, bitte er mit Überlegung zu lesen. — Entweder fehlt in dem vorliegenden Schreiben der Schluß, oder es ist lediglich als Vorwort zu dem mitübersandten Brief an den Abt Bessarion gedacht.

Der bisher noch ungedruckte Brief ist überliefert: Rom, Cod. Vat. lat. 5356, fol. 20—20 v.

animo meo attulerunt. Quantum enim molestiae maerorisque paulo ante ex acerbissimo illo captivitatis Euboicae nuntio et Chalcidis internicionis accepissem, quantamque imminere Christianorum cervicibus perniciem praevidissem, facile tua celsitudo intelligere poterit meis ad Bessarionem monachum litteris, quarum exemplar ad te misi. Nam <sup>5</sup> cum pridie Nonas Sextiles infelicissimum illud novum ad nos primo allatum fuisset, essemque supra, quam dici potest, animo anxius atque sollicitus et vix respirandi causam viderer habiturus, accidit forte fortuna, ut eo ipso die, dum ita essem affectus, eius viri ex Neapoli, ubi nunc monasterio Sancti Severini ex consortio beatae Iustinae abbas est <sup>10</sup> B 20<sup>v</sup> praefectus, litteras acceperim, quibus ad me scribebat maiestatem regiam miro quodam animi fervore ad propugnationem christianae fidei et immanissimi hostis nostri ultionem ardentem atque inflammata esse. Illis mox respondi et, ut litteras meas celsitudini regiae ostenderet, monui, cuius ille suasu ad me, quae dixi de regio animo, scripserat. Eas, <sup>15</sup> quaeso te, ut aequo animo legere velis. Sunt enim christianis principibus omnibus communes.

### 70. Bessarion Cardinalis

#### Bessarioni

Monacho atque Abbati Salutem.

Deploranti nuper mihi Christianorum hominum calamitates et acerbissimam Chalcidis Euboicae eversionem litterae abs te redditae fuerunt, in quibus cum ea legissem, quae de regiae maiestatis animo studioque non mediocri ad fidem Christi tutandam perscripsisti, collegi paululum mentem et respiravi, coepique optare vehementer, ut re praestet, quod <sup>25</sup> verbis ipsum promisisse affirmas. Sed, nos infelices! Vereor, ne criminibus nostris ab immortalis Deo deserti crudeliora praeterea et graviora patiamur, demum percunctando, alter alterum exspectando, culpam in alios reiiciendo ad ultimam labamur perniciem. O miseros Christianos! O caecos Italos! 30

Accelerandum est, Bessario, ut vel ex hoc saeculo Deo volente migremus in aevum illud sempiternum vel in aliam aliquam regionem

<sup>2</sup> internicionis *scripsi* internicionem B | 9 viri ] B *add.* litteras.

Ep. 70. Der Brief, abgefaßt (1470) nach der Eroberung Euböas durch die Türken, schildert die türkische Gefahr und will für deren Abwehr werben. Vorbereitet wurde das Schreiben im Zusammenhang mit Bessarions Orationes ad principes Italiae.

Überlieferung: Rom, Cod. Vat. lat. 5356 fol. 20 v—24; Cod. Vat. lat. 3586; Bibl. Angelica, Cod. 1377 fol. 17—20. — Druckausgaben: Romae 1537, 4<sup>o</sup>. — Bessarionis Orationes gravissimis de periculis ad principes Italiae. Romae, in aedibus Francisci Prisciansis Florentini 1543. — Migne PG 161, 648—651 (fehlerhaft).

advolemus. Non exspectemus certe Turcum Italiam invadentem. Huc spectat, crede mihi, hoc agit, ad hoc se comparat, hoc conatu omni et studio contendit. Et dicam? Dicam plane, — proh dolor — assequetur quod cupit, nisi Italia tandem aliquando resipiscat, nisi a somno capitali, 5 quo paulatim exstinguitur, expergiscatur, nisi concors atque uno consensu fortiter totisque viribus tanto furori resistat, nisi omissis figmentis, causis, quas iactare solet, ut iustae videantur, inani verborum fucore ipsa, opera, armis crucis hostes adoriatur. Versabatur olim in discrimine Byzantium. Nulla Italiae pars misit subsidia, rem alienam putabant, omnes. Periculum ad se non pertinere falso credebant. Atqui postea 10 senserunt, quot mala experti sunt, quot Christianorum fortuna, opes, imperia in Turcorum dominationem redacta: Trapezuntiorum, Sinopensium, Mityleneorum, Peloponnesiorum, Cariae, Ciliciae, Mysiae, Pannoniae inferioris, Epirotarum, Illyricorum magna ex parte, postremo 15 Euboicorum. Quid ita? Quia noluerunt quinquaginta milium aureorum sumptu in tempore opitulari Byzantio et ab ea communem hostem propulsare. Inde nimirum haec omnia ivere perditum, et tamquam ovilis foribus confractis lupo in oves impetum fecit intra earum latera versatur, insultat, caedibus furit et tamen eorum, quae amisimus, 20 unumquodque centies millenis milibus non imprudenter emeretur, immo vero numero infinito quinquaginta milia superat. Quid nobis cum Graecis? Quid cum Mysiis, Illyricis, Pannonibus? Pereant, inquit. Quid nobis? Nobis bene sit. Intereant alii.

Huc ades, bone vir, ita siquidem libertas tua servari poterit. At 25 non intelligis tuis viribus — tuae enim Christianorum vires sunt — tuis inquam exhaustis viribus tanto te imbecilliorum et inferiorem fore, quanto hostis tuus superior ac potentior evadet, cum quo tandem tibi dimicandum est. Satis enim videberis ab hoste impetrasse, si quod Polyphemus Ulyxi, ut est in fabulis, tibi dederit, ut ultimus conficiare. 30 Tibi vel invito credendum erit et servitus subeunda, quae, cum per se turpis sit, tamen conditione domini est turpissima. Obsessa est Chalcis in Euboea, urbs quondam florentissima, unde Cumas in Campania deducta est colonia, unde homines manarunt, qui Neapolim incoluerunt, vi capta, eversa, ferro ignique consumpta. Classis Turcorum amplissima 35 per totum Hellespontum vagatur. Fugatus navalis Venetorum exercitus, aufugit, cedit loco, latitat. Turci victoriae furorem superbissimum in omnes insulas illas debacchantur, avertunt omnem ordinem, aetatem, sexum in praedam, vastant agros, depopulantur. Quid ad nos? Venetis curae sit. Recte cum iis actum est. Utile esset, si gravioribus 40 incommodis conflictarentur. Quietius ceteri et securius viveremus. Tantum otio nostro accedit, quantum illis imperii demitur. Si quis est, qui malis istis ingemiscat, is Venetus est, Venetorum partibus favet, non est audiendus, contemnendus est. O turpem hominum ignorantiam,

o vecordiam, o insanabile odium, o inimicitias stultas et inauditas, quae in auctorum viscera saeviunt, quamvis in alios susceptae videantur!

Veni, Bessario, fugiamus simul. Proximus tu es periculo, ego proximus. Paulo enim post praesto erit Brundusii navalis Turcorum exercitus, praesto Neapoli, praesto Romae. Iam ita mari dominatur Venetis cedentibus, quemadmodum terra. Ita istis consultantibus traicient in Apuliam multa militum milia, quibus abundant. Ab iis quotidie fient incursiones in agrum Neapolitanum, in Romanum. Cedamus, inquam, tanto turbini, ne nos pariter hic opprimat. Infensi illi quidem sunt non mihi meo et tibi propter me, tametsi nullo eos umquam affeci incommodo aut laccessivi, non sane, quia noluerim, sed quod non potui. Locutus sum multa, cum alibi, tum in senatu. Numquam destiti suadere, monere, praedicare, rogare. Non defuit voluntas, quae inimicissima illis est. Hanc acriter ulciscuntur. Veni, demus locum irae. 15

Hui, delirat Bessario, insanit senex; frigidus, timidus est. Profecto, mi Bessario, non insanit Bessario. Tu es mihi testis, cum Bononiae essemus et adhuc Paschalis nuncupareris, atque allatus esset infelicissimus ille de urbis Byzantinae excidio nuntius, ea omnia, quae postea consecuta sunt, me futura praedixisse, non ea sane de causa, quod vel prudentia excellenti vel divinationis furore aliquo despicerem, quae alii non cernerent, sed quod omnibus, qui privatis studiis et affectibus vacui essent, ea omnibus palam erant et in promptu. Tum sibilis vulgi, honestorum sermonibus explodebar. Iudicabant dementem, somniis deditum. Risus de me non parvus, ut scis, excitatus est. Sed tamen — proh dolor — evenerunt omnia, ut praedixi. Caveant, qui haec audiunt, ne idem accidat in posterum. 25

Non timidus Bessario in subeundis periculis. Timidus est in prospiciendis. Posset adhuc inermis, monachus, senex maiorem animum et prae se ferre et praestare, quam isti persuasum habeant, modo christiani principes vellent facere, quod possunt, quod debent. Iret ipse in hostem cum militibus, cum cohortibus armatis, cum propugnatoribus crucis, ita quidem instructis, ut vires, ut copiae, ut legiones hostiles postulant. Quid? Agitamusne ista animo cunctis adhuc dormientibus, dissidentibus inter sese, altero alterius perniciem optantibus et molientibus? Unusne Bessario cum altero, senes ambo, incerta valetudine, viribus fracti, arcebunt tantum Turci impetum potentissimi, furiosissimi, sanguinem christianum anhelantis? Ineptum, stultum, inutile. Veni, migremus alio. Relinquamus principibus Italiae curam istam. Nam et illi nos reliquerunt atque obaudiunt iam diu tamquam e specula clamantes, praedicantes, proponentes ante oculos eorum pericula. Optemus tamen adhuc ab immortali Deo, Salvatore nostro, ut criminibus nostris ignoscat et fidem, cuius et lator fuit et auctor, quam ad saeculorum finem num-

quam occasuram pollicitus in tantis malis, quae nobis cum impendent, tum urgent, tueatur.

Non intermittamus hortari et rogare principes nostros, ut ad sacrorum, ceremoniarum, totius principatus ecclesiastici salutem consilia  
 5 omnia conferant, laborem, industriam, cogitationem, totum animum atque ingenium. Appellemus Siciliae regem florentissimum. Rogemus, ut imperii sui finibus tutandis neque cura neque opibus desit. Res ipsi erit cum hoste vicino et potentissimo. Consulant rebus suis Tusci, Ligures, Insubres, Veneti. Cogitent, quo pacto ab hostili saevitia tuti sint.  
 10 Nulla inter oves et lupos gratia, nullum inter profanos homines et Christianos ius amicitiae est. Non donis, non muneribus pacatur hostis immanis, barbarus. Nulla foederis religione tenetur perfidus, non movetur misericordia crudelissimus. Dominari, praeesse, imperare cupit. Cruore et flamma cuncta delere vult. Subiugare sibi cunctos studet. Quis  
 15 illum a tanto victoriae cursu retardabit? Peragrabit totum Siciliae regnum. Romam usque perveniet. Quis erit impedimento? Hyperboreine populi et gentes remotissimae? At illis tam nullus harum rerum sensus est, quam officio alienum putant pro aliena salute sese in discrimen offerre. Galliae, Britanni, Germani, exterae nationes? At procul sunt  
 20 a periculo. Non putant Italiam in medio periculo magna rerum perturbatione versantem cessare aut sopitam esse, quam infinitis paene triumphis et hostium spoliis decoratam esse sciunt. Italine, quibus hostis imminet, quibus caedem, ferrum, servitutem, exsilia denuntiat et ostentat? At nolunt, negligunt, non possunt adduci, ut credant sese adeo  
 25 propinquos esse periculo. Suis viribus confidunt nimium, ut plane verendum sit, ne in suis potius, quam in hostis finibus castrametari atque exercitum alere cogantur.

Veni iam Bessario, petamus solitudinem et deserta loca. Satis ex rerum civilium statu percepimus. Parum nobis vitae superest, et mihi,  
 30 qui senior sum, et tibi, qui imbecillior. Si aliqua in re consiliorum nostrorum, vocis, corporis respublica christiana usus esset, manendum sane adhuc censerem, adhuc laborandum. Ego vero iam tot annis conatus, quoad potui, nihil professione mea, nihil hac dignitate profeci. Tu, quamvis tui ordinis hominibus prosis, plus tamen proficies mecum in  
 35 rebus contemplandis, ubi, si in desidia ista persistent Christiani, soli Deo vivamus et nobis ipsis. Alat nos, qui caeli volatilia et bestias agri sua clementia satiat. Neque grave aut difficile fore arbitror divinae liberalitati duos homunciones perquam brevi tempore, quod nobis reliquum est, suis opibus sustentare. Vale.

**71. Bessarion Cardinalis  
Guillelmo Ficheti.**

Reverende et doctissime pater, amice noster carissime, Guillelmus Baudinus, vir doctissimus ac magna nobiscum familiaritate coniunctus, de ingenio et doctrina vestra excellenti multa nobis narravit. Sic ex-<sup>5</sup> posuit ad vos missa fuisse a Georgii Trapezuntii filio quaedam in opus nostrum, quod de Platonica philosophia edidimus, parum aut aequae aut prudenter annotata, idque se ex vobis audiisse dicebat. Addebat illud vos de toto negotio litteras ad nos dare constituisset. Equidem vestro investigandae tenendaeque veritatis studio gratias ago. Quod<sup>10</sup> autem vel Georgius vel filius ista suscipiat et meditetur, minime miror. Suo enim uterque vitae instituto satisfacit. Sed agant, ut volunt, misceant mare caelo, nos veritatem secuti et rectam philosophiae rationem non discedemus ab officio omitta istorum mentione, quorum insania et in Platonem maledicentia numquam nos profecto ad scriben-<sup>15</sup> dum magnopere commovit.

Cum olim Georgius Trapezuntius nullo iure, nulla disputandi subtilitate ita et in Platonem invectus esset et laudasset Aristotelem, ut neuter vituperatione afficeretur aut laude, suscepimus pro Platone cau-

---

<sup>1</sup> *Suprascriptio*: Bessario, episcopus Sabinensis, cardinalis Nicaenus, patriarcha Constantinopolitanus, reverendo et doctissimo patri, magistro Guillelmo Ficheti, sacrae theologiae in collegio Sorbonae Parisii, amico nostro carissimo.

Ep. 71. Mit diesem Schreiben vom 13. Dezember 1470 trat Bessarion erstmals mit Wilhelm Fichet, Professor der Universität Paris, in Beziehung. Veranlassung dazu hatte das Treiben des Georgios Trapezuntios gegeben, der seine Schmähchrift gegen Bessarions „In Calumniatorem Platonis“ Fichet hatte überreichen lassen und in weiteren Kreisen, wie bei dem Erzbischof von Tours, den Kardinal in ein übles Licht gesetzt hatte. Um dem verwegenen Angriff die Spitze abzubrechen, erörtert Bessarion den näheren Sachverhalt. Georgios habe mit seinen Comparationes nicht nur Platon herabgesetzt, sondern auch Aristoteles und die Peripatetiker samt den mittelalterlichen Aristotelikern nicht zu würdigen verstanden. Demgegenüber bezweckte sein Werk, Platon bei den Lateinern bekanntzumachen, ohne daß dadurch Aristoteles Abbruch geschähe. Daraufhin habe nun Georgios eine Erwiderung geschrieben, die jedoch von nichtswürdigen Verdrehungen und Schmähungen erfüllt sei. Er selber habe über dieses niedere Benehmen hinweggesehen; aber aus seiner Umgebung habe jemand (Niccolò Perotti) eine Antwort gegeben. Diese neue Schrift beabsichtige er ihm zwecks weiterer Beurteilung der Angelegenheit zugehen zu lassen. Die Bücher In Calumniatorem Platonis, die er von Anfang an der Universität Paris vorzulegen gedacht habe, seien bereits im Besitz von verschiedenen in Frankreich führenden Persönlichkeiten (vgl. Band I 388).

Überliefert ist der Brief nebst den folgenden Briefen an Fichet in einer alten Sammlung des Briefwechsels zwischen Bessarion und Fichet, die einem alten Druck von Bessarions Orationes ad principes, de bello in Turcas decerendo als Anhang beigegeben ist und wahrscheinlich Fichet selber gehört hatte. Dann nochmals im Cod. lat. 18591 der Nationalbibliothek zu Paris. Eine erstmalige Ausgabe lieferte E. Legrand in seiner Cent-dix lettres grecques de Fr. Filelfe. Paris 1892, p. 223—225.

sam, in qua et Aristotelem, quem admiramur atque ab ineunte aetate probavimus, praeceptorem Platonem secutum ostendimus, ut cum ille recte docuisse, tum hic et multa didicisse et suo studio atque ingenio fecisse plura facile iudicetur. Dumque hominis ignorantiam atque te-  
 5 merarium impetum eludimus, derridemus nonnumquam et despiciamus novam scientiam, quam ex Aristotelis fonte se solum post homines natos hausisse profitetur. Nam, ut ingenue fateamur, non magis in Platonem quam Peripateticos omnes causam agit. Nova affert dogmata, neque ab Alberto exposita neque a Thoma intellecta. In iis gloriatur  
 10 et se iactat.

Quis, inquit, novit Aristotelem sensisse animam una cum corpore productam et tamen in posterum fore perpetuam? Quis illum de trinitate expresse locutum ac multa, quae nihil attinet, scribere?

Librum edidimus, in quo illud potissimum nobis propositum est  
 15 efficere, ut Plato, ad hunc diem latinis hominibus ignotus, nostra opera suarum opinionum capita exponat, ne aut ipse alia docuisse, quam Aristoteles probavit, aut hic a Platone discessisse videatur, ut eum contempserit, quo praeceptore diutissime usus est. Gravem sane et constantem philosophum decet utrumque amplecti, aspernari neutrum.  
 20 Quicquid enim discendo, excogitando, disserendo consequimur, illorum doctrina est propagatum, ut non tam ineptus quam ingratus existimandus sit, qui alterum laudat, alterum insectatur, cum ab utroque multa illustriacque in rem litterariam merita exstare videat.

Post editam lucubrationem nostram Georgius omni privato pu-  
 25 blicoque iure destitutus, ad calumniam conversus quaedam perverse collegit, ne turpiter ab ea causa depulsus iudicaretur, quam tanto conatu et studio susceperat. Ea cum in urbe nonnullis edidisset, ad nos delata fuerunt. Contempsimus hominis improbitatem. Nam qui opus nostrum legit, facile illius mendacia et garriendi libidinem deprehendit.  
 30 Quidam vero ex domesticis nostris singulis capitibus respondere voluit et inanem hominis cogitationem refellere. Is pro sua in nos observantia atque illius iniquitate acerbius nonnumquam scripsit et calumniatorem verbis accusavit. Statuimus, quod responsum est, ad vos mitti debere, ne causam agat sine stultitiae suae iudice et accusatore. Cum autem  
 35 multa in ea essent, quae magis illum audire, quam nos loqui decet, subductis virgulis castigavimus. Vos cum legetis omnia, ea percipiatis diligenter velimus, et causam suscipiatis nostram apud alios istic, apud quos ista fortasse pervulgata fuerint, cum propter aequitatem, quam hoc postulat, tum voluntate nostra, qui hoc petimus. Hoc etiam mu-  
 40 tuae amicitiae initium, quam tamen contraximus ob virtutem vestram, de qua multa audivimus.

11 cf. Georg. Trap. Comparationes II 16.

12 cf. Georg. Trap. Comp. II 3. 4.

Ego vero, cum opus illud editurus essem, eius exemplum in academiam Parisinam, omnium doctrinarum parentem, mittere decreveram. Sed dignum non putavi, quod tantae sapientiae tantisque ingeniis proponeretur. Tamen apud serenissimum regem sunt, qui habent: dominus Guillermus, qui superiori anno orator regius hic fuit, dominus 5 Albiensis et alii, a quibus, si placuerit, et habere et legere librum licebit. Cum domino Turonensi de negotio imprimis loquendum. Ille enim, nescio quo rumore persuasus, nos Platonem e virgine natum affirmasse animo perturbatus est, ut accepimus. Id vero falsum penitus deprehendet, cum vel librum in manus sumet, vel quod hic responsum est intelliget. Valet.

Ex Urbe, die 13. Decembris 1470.

## 72. Bessarion Cardinalis

### Guillelmo Ficheti.

Audimus non solum in philosophia et sacrarum litterarum cognitione vos elaborasse, sed etiam in eloquentiae studiis dicendique ratione diu versatos, eaque mirifice delectari. Quo in genere, etsi nihil habemus, quod magnopere capere debeatis, tamen mittere statuimus orationes quasdam hoc tempore a nobis editas pro gravissimis periculis, quae Italiae Christianisque omnibus imminent, non magis quidem ut vel sermonis puritatem vel orationis vim ac praestantiam desideretis, quam ut intelligatis, quanta malorum procella in christianae reipublicae capita et fortunas impendet, remque et apud serenissimum regem et apud alios, qui opem ita maxime ferre debent, ut possunt, explicetis totam ac persuadeatis, quod potius acerbum est quam obscurum, non exarsuram Italiam tantis malorum incendiis, quin flammaram globos longius evomat. Id ne accidat, cum regnorum omnium causa optare debent,

5 Ioannes Gaufridi, ep. Albiensis et S. R. E. card. († 1473). | 7 Elie de Bourdailles O. Min., aep. Turonensis († 1484). | 8 cf. Bess. In Cal. Plat. IV 1, 14. — Nicolai Per. Refutatio deliramentorum Georgii Trap. c. 28.

13 *Suprascriptio*: Bessario, episcopus Sabinensis, cardinalis Nicaenus, patriarcha Constantinopolitanus, reverendo et doctissimo patri, magistro Guillelmo Ficheti, sacrae theologiae professori in collegio Sorbona Parisii, amico nostro carissimo.

Ep. 72. Am gleichen Tage, da Bessarion den vorhergehenden Brief an Fichet richtete (13. Dezember 1470), ließ er ihm mit dieser kürzeren Nachschrift seine Orationes ad principes Italiae zugehen. Handschriftliche Überlieferung wie oben S. 552, ferner: Turin, Cod. gr. 1165 (membran. saec. XV), zusammen mit der Epistola Ficheti ad Sabaudiae duces den Orationes Bessarions vorangestellt; gedruckt bei Migne PG 161, 641—646. E. Legrand, Cent-dix lettres de Fr. Filelfe. Paris 1892, p. 226.



quorum salus in discrimen adducitur, tum propter immortalem Deum, cuius religio sanctissima vexatur ac trahitur ad interitum, magna Christianorum omnium clade. Valete.

Ex Urbe, die 13. Decembris 1470.

5

**73. Bessarion Cardinalis  
Guillelmo Ficheti.**

Reverende pater, amice noster carissime, cognovimus ex litteris vestris Georgii Trapezuntii deliramenta in opus nostrum istuc allata fuisse. Ea ut olim contempsimus, ita nunc a pravo et iniquo animo  
10 profecta esse facile perspicimus. Cum suam calumniam hic facile derideri posse intelligeret opere nostro eius mendacium et vanitatem aper-  
tissime redarguente, alio confugit. Vestram vero epistolam magnopere sumus delectati. Eloquentiam enim, sapientiam ac observantiam in nos  
eximiam facile prae se fert. Nam et elegantia sermonis, quicquid est  
15 in causa, exponitis et singulari prudentia calumniatoris fraudem facile  
deprehendistis nostro etiam opere non inspecto et eximia in nos be-  
nivolentia partes nostras defenditis ac dignitatem tuemini. Idem cum  
nomine vestro olim nuntiasset magister Guillelmus, poenitentiarius nos-  
ter, dedimus ad vos statim litteras cuidam Michaeli, familiari bonae  
20 memoriae R<ichardi> domini Constantiensis, qui pro domini negotiis

5 *Suprascriptio*: Bessario, episcopus Sabinensis, cardinalis Nicaenus, patriarcha Constantinopolitanus, reverendo et doctissimo patri, magistro Guillelmo Ficheti, sacrae theologiae professori in collegio Sorbonae Parisii, amico nostro carissimo.

20 Richard Olivier. Bischof von Coutances, gestorben als Kardinalbischof von Porto 1470.

Ep. 73. Auf die beiden ersten Briefe Bessarions (n. n. 71. 72) hatte Fichet am 13. Februar 1471 geantwortet. Tatsächlich habe Trapezuntios unter dem 5. Juni des vergangenen Jahres durch seinen Sohn Andreas einigen Professoren der Pariser Universität sowie ihm persönlich einen Brief und Auszüge aus seinen Annotationes zu Bessarions *In Calumniatorem Platonis* vorlegen lassen. Den Brief habe er sofort zur Seite gelegt, weil er nur Neid und Gift herausgeföhlt habe. Die Annotationes, namentlich das ungeschliffene Vorwort habe den Verfasser als einen höchst unerfahrenen Menschen erkennen lassen. Mit seinem ersten Werk, den *Comparationes*, setze Georgios, ohne zu Aristoteles' Verherrlichung beizutragen, Plato in nichtswürdiger Weise herab. Zu bemerken habe er, daß neuerdings einige Schüler des Georgios dessen Rhetorik in Paris zu verbreiten suchten. Er habe aber diese wie die Auslassungen gegen Bessarion in seinen Vorlesungen zur Genüge gekennzeichnet (Ep. 3. bei Legrand l. c. 226—230).

Für diese Mitteilungen dankt Bessarion am 22. März 1471 mit nachfolgendem Brief. Gleichzeitig schickt er ihm Perottis *Refutationes*. Auch sein Werk *In Calumniatorem* hätte er ihm gern geschickt; doch lasse sich das im Augenblick nicht bewerkstelligen. Er möge es bei dem Bischof von Albi einsehen, dem er es bereits zum Geschenk gemacht habe. — Der Brief handschriftlich vgl. oben S. 552, gedruckt bei E. Legrand, l. c. 230 s.

ad serenissimum dominum regem proficiscebatur. Simul misimus libellum quendam, quo quidam e nostris calumniatoris infamiam et refutavit et explosit. Quod autem et depravata et falsa sint omnia, quae Georgius recensuit, vel opus nostrum plane indicare potest. Id mittere cupiebamus, sed nunc tuto fieri non potuit. Scripsimus autem ad reverendissimum dominum Albiensem, ut vobis librum elargiatur, quem istuc ipsi dono misimus. Alterum ei restituemus, cum venerit in Urbem. Ex eo facile percipietis calumniatorem frustra in eo elaborasse, quod, antequam scriberet, penitus erat repudiatum et eversum. Deditus una cum litteris orationes quasdam a nobis hoc tempore perscriptas de periculis Italiae imminentibus, ut eas principibus, qui istic sunt, ostenderetis, quo labenti rei christianae succurrerent, quae omnis maximo in discrimine versatur cum alibi, tum in Italia. Nam etsi in hanc unam hostis incumbere videtur, tamen infinitum malum serpet latius, neque tanti tempestatum fluctus ita in hanc orbis partem inundabunt, quin ad peregrinas nationes eodem impetu perducantur. An haec omnia reddita fuerint, per litteras vestras scire exspectamus. Bene valete.

Ex Urbe, a. d. XI Kal. Aprilis 1471.

#### 74. Bessarion Cardinalis Guillelmo Ficheti.

Venerabilis docteque vir, amice noster carissime, cum scire cuperemus vehementer, an vobis redditae fuerint et orationes a nobis editae pro christiana fidei dignitate et refutationes calumniarum in opus nostrum in philosophiae Platonicae laudem conscriptum, — haec enim omnia iamdiu vobis misimus — forte fortuna venit huc quidam ex numero secretariorum christianissimi regis, qui nobis affirmavit sese vidisse orationes in vestris manibus vestra opera impressas et traditas compluribus. Quod cum ita sit, coniecturam fecimus refutationes quoque, quae una cum iis datae fuerunt, ad vos fuisse perlatas. Iis etsi

20 *Suprascriptio*: Bessario, episcopus Sabinensis, cardinalis Nicaenus, patriarcha Constantinopolitanus, venerabili doctoque viro, magistro Guillelmo Ficheti, sacrae theologiae doctori in collegio Sorbonae Parisii, amico nostro carissimo.

Ep. 74. Durch einen in Rom eingetroffenen Gesandten des Königs von Frankreich hat Bessarion erfahren, daß Fichet Perottis Refutationes sowie seine Orationes habe drucken und verbreiten lassen. Er bittet nunmehr (am 31. August 1471) um jenen Brief, den Trapezuntios durch seinen Sohn in Paris hatte verbreiten lassen. Weiter teilt er Fichet mit, daß er ein gleichzeitiges Schreiben an den König gerichtet habe, dieser wolle ihn beim Papst für ein frei werdendes Benefizium in Vorschlag bringen. — Der Brief handschriftlich vgl. oben S. 552, gedruckt bei E. Legrand, l. c. 232 s.

minime res et causa nostra egere videbatur, cum omnia erant conficta et vanitatis et mendacii plena, tamen optabamus magnopere, ut a vobis legerentur. Itaque hoc nuntio et laetati sumus et humanitati vestrae agimus gratias, qui lucubrationem nostram tanti feceritis, ut putaveritis dignam, quae apud multos esset.

Rem vero gratissimam facietis omnino, si ad nos perferendam curaveritis epistolam illam ipsam primam, quam filius Trapezuntii misit istuc, in eoque efficiendo ut ponatis operam et studium, rogamus.

Quibusdam argumentis et testimoniis persuasi sumus christianissimum regem benivolentia et gratia erga nos affici. Nos vero nihil potius agendum putavimus, quam ut ab eo peteremus favorem et beneficia in vos. Itaque dedimus litteras ad eius maiestatem, quas cum his coniunximus, rogavimusque, ut, si quod beneficium istuc vacare contingerit, statim vel pro vobis scribat ad pontificem maximum vel curet ab ordinario conferendum. Nam multa et ampla ordinarii nonnumquam dare consueverunt. Hoc nobis admodum curae est, quod vos non modo pro virtutis vestrae dignitate, sed nec ulla quidam ex parte beneficia habere audimus. Eritis igitur attentis et vos et vestri; et, cum primum existet aliquid, dabitur operam, ut vel favore vestrorum in curia regia, vel aliqua alia diligentia christianissimi regis litterae pro vobis ad nos mittantur. Favebimus enim, quanto poterimus studio, ut vos afficiamus beneficiis. Reddetis vos ipsi litteras domino regi, eiusque clementiae et nos et vos commendabitis. Bene valet.

Ex Urbe, die ultimo Augusti 1471.

### 75. Bessarion Cardinalis Guillelmo Ficheti.

Reverende pater, amice noster, litteras vestras accepimus, quibus nobis commendas fratrem quendam Rubertum Gagginum, quem — quia litterae vestrae ita nobis faciunt commendatum — libentissime vidimus, eique omnem favorem nostrum obtulimus causa vestra, quamvis eo non indiguerit, quod ei non fuerat opus. In his autem litteris vestris, quas nobis frater Rubertus, de quo initio diximus, reddidit,

*25 Suprascriptio:* Bessario, episcopus Sabinensis, cardinalis Nicaenus, patriarcha Constantinopolitanus, reverendo patri, domino Guillermo Ficheti, in sacra pagina magistro, amico nostro carissimo.

Ep. 75. Bessarion nimmt gern die Empfehlung Fichets für einen gewissen Robert Gaguin entgegen. Zu seinem Bedauern sei aber ein anderer Bote, den er in seinem Schreiben erwähne, mit Briefen und Schriften bei ihm nicht eingetroffen. Er wisse daher nicht, ob sein Werk *Contra Calumniatorem*, das er ihm inzwischen hatte zugehen lassen, zu Fichet gelangt sei (29. November 1471). Der Brief handschriftlich vgl. oben S. 552, gedruckt bei E. Legrand, l. c. 233.